



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epitome Tribvnalis Sacramentalis Reverendissimi Patris Petri Marchantii

Zurmöllen, Heinrich

Neuhusii, 1677

Titvlvs XX. De Agricultura.

urn:nbn:de:hbz:466:1-9734

te detractorem. R. Quicumque detractorem audit, ita ut detractiōni aliquo modo cooperetur, sive adulando, sive excitando, sive confirmando, aut ex placido auditu occasionem præbendo, in re gravi peccat mortaliter. Unde *S. Bern: lib. 2. de Consider: sub finem:* inquit: *Detrahere aut detrahentem audire, quid horum damnabilius sit, non facile dixerim.* Non tamen qui detractorem audit, tenetur illum reprehendere, aut contradicere, vel positive pro fama alterius defendenda, contra ipsum agere, sed sufficit, ut quovis modo se nolentem exhibeat, aut ostendat dicta illius sibi non placere, nisi tamen sit superior, aut persona gravis, quæ sua reprehensione possit detrahentem reprimere.

TITVLVS XX.

De Agricultura.

Articulus Primus,

De Agricultura obligationibus.

- I. **N**ecessitatem Agriculturæ demonstrat, ejus ab initio naturæ humanæ crea-

næ creatæ institutio: Si enim statum Innocentiæ perpendamus, illam quamvis non laboriosam, sed recreatione plenam, pro particulari exercitio homini Deus dederat. *Genes. 2. Plantaverat autem Dominus Deus paradysum voluptatis à principio: in quo posuit hominem quem formaverat, ut operaretur & custodiret illum.* Porro, quæ in statu Innocentiæ ad recreationem homini beata erat: post peccatum facta est generi humano ad conservandam vitam necessaria, ac laboribus & sudoribus plena, utilis tamen & honesta, nam dicit *Cicero lib. 1. de Officijs circa finem: Omnium rerum, ex quibus acquiritur, nihil est agricultura melius, nihil uberius, nihil dulcius, nihil homine libero dignius.*

2. Triplicis generis Agricolaë distinguuntur: alij enim propria colunt rura vel per se, vel servorum suorum opera utentes: alij colunt rura aliena, locatione tamen vel Emphyteusi ad tempus facta, sub certa pensione: alij tantum operas suas, mercede ex conventionione facta elocant. Leges igitur Agricolarum sive proprietarij Domini

mini sint: five locatarij & Emphyteutici:
 five partiarij: hæ sunt: ut ab alienis agris,
 qui ad eos nullomodo pertinent, abstineãt:
 Decimas persolvant. Hæc autem inter
 omnes illos est distinctio, quod agricolæ,
 qui simul agrorum Domini sunt, liberam
 habeant de suis agris dispositionem, five
 ut colantur, five ut à cultura cessent, five ut
 hoc vel illo semine seminentur, five ut his
 vel alijs modis excolantur: Agricolæ vero
 locatarij tenentur legibus locationis, five
 de quibus in locatione conventum est: &
 eodem modo partiarij tenentur, conditio-
 nibus five legibus quibus cum Domino
 proprio convenerunt: qui autem solum
 operas suas mercede locant, ab arbitrio
 Domini Principalis in omnibus pendent.

Articulus Secundus.

De peccatis Agricolarum.

1. **P**Eccant si ex agris ad se pro tempore
 non pertinentibus fructus accipiant.
2. Si, ut plus terræ occupent, terminos
 agrorum suorum excedant, & in alienos
 agros

agros transferant. Hi peccant mortaliter tenenturque ad restitutionem.

3. Peccant si permittant sua animalia in alienis agris pascere.

4. Si sua incuria alienis agris damna inferunt, illaque compensare non student.

5. Peccare convincuntur locatarij, qui Agrorum conservandorum curam habent, & permittunt illos delabi in sterilitates, in damnum proprietariorum.

6. Peccant qui leges in locatione positas non servant, sed ijs contrarium agunt.

7. Partiarj juxta rationem materiæ peccant, qui suos patronos defraudant, non restituentes partem integram fructuum, de qua conventum est, vel non nisi ex peioribus.

8. Quamvis proprietarii agrorum, vix in ipsa agrorum cultura peccare possint, non raro tamen in venditione sive distractione fructuum peccant, nimirum vendendo fructus excessivo pretio, vel diminutis mensuris, vel fruges vitiatas pro bonis, vel commutando grana tempore quo vili pretio comparantur, ut altero tempore sum-

mum & excessivum pretium, vel in ampliori mensura recipiant.

9. Peccant Agricolaë juxta qualitatem materiæ mortaliter: qui decimas negant, aut quovis modo injuste defraudant, nisi privilegio aliquo ab illis solvendis liberi sint.

10. Peccant peccato gravi inhumanitatis villici, qui pauperes tempore messis à suis agris & messoribus abigunt.

11. Alia quædam sunt peccata, quæ etsi Agricolis non sint propria, apud illos tamen valde frequentia sunt. Ut observationes vanæ æris, volucrum, superstitiones in feminibus jactandis, in animalibus conservandis à lupis, sanandis ab infirmitatibus, & id genus alia: In hoc enim sæculum devenimus, quod Agricultura, quæ de se innocentissima erat, humana malitia, in peccatorum quandam voraginem delapsa videatur.

TITV-